

M. VARRO.

**N**on indignaberis Marce Varro, præ-  
 poni tibi duos tam grandes viros,  
 quos sibi præpositos nec vniuersus olim  
 orbis erubuit, neque nescius eram, inter  
 studia Latinorum, primum tibi locum ex-  
 ximiamque laudem deberi, memineram  
 ad tibi ab extremis tributum, & à nostris  
 tantum præconiorum certatim à multis in  
 vnum hominem congestum, vt ipse si aurem  
 applicueris erubescas, tametsi vera &  
 meritis etiam nunc inferiora prædicen-  
 tur. Sunt qui de te scribant: vir doctissi-  
 mus Varro, qui tam multa legit, vt ali-  
 quid ei scribere vacasse miremur, tam  
 multa scripsit, quam multa vix quem-  
 quam legere potuisse credamus. Sunt  
 qui te Romanorum omnium longè præ-  
 cellentissimum putent, sunt qui in hoc  
 ne Græcis quidem deferant, vt vir fide  
 pius eloquioque sacer Lactantius Fir-  
 mianus, qui Institutionum suarum libris  
 meminem, te doctiorem, nec apud Græcos  
 vixisse confirmat. Atque vt clarissimum  
 ex omnibus tibi reddam testimonium,  
 Marcus Tullius, & quod gratius audias,  
 in ipsis Academicorum libris, vbi  
 nihil omnino firmandum, sed de omnibus

bus